


EPISTULA LEONINA

CCXVIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODEVICESIMAM (218) !

ARGUMENTA

1. QUOT LINGUAS CALLES TOT HOMINES VALES (<i>Carolus V.</i>).....	03
2. NARRATIUNCULAE PUERI MALEMŌRATI (<i>Thoma, Pars VIII</i>).....	04-09
3. QUATTUOR LECTIUNCULAE SCHOLARES.....	10-18
3.1 Lectiuncula I: Mynchusanus Baro mendax.....	10-11
3.2 Lectiuncula II: De puellâ iracundâ.....	12-13
3.3 Lectiuncula III : Medici monent de adolescentium sophophonmaniâ.....	14-16
3.4 Lectiuncula IV: De hystricibus.....	17-18
4. DE VERBIS QUAE FALSO DICUNTUR DICTA ESSE A VOLTARIO.....	19

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam duodevicesimam (218), quam tibi haud ingratham fore bene spero.

Epistulis prioribus sat superque relatum est de furore coronario; animadvertimus ipsum morbum multo minus periculosum esse quam terrorem panicum, qui a politicis atque diurnariis efficiatur sub praetextu morbi impugnandi, reverâ propter lucrum atque potestatem augendam. Verum enim vero ferê ubique terrarum non iam valere videntur sana mens et ratio sobria atque cogitabunda, sed mera hysteria pandemica¹: primo hysteria climatica, deinde coronaria, tum phyletistica, nunc tres istae omnes...

At nos, qui studia simus amplexi humaniora, oportet avertamur a climatomaniâ, vîromaniâ, phyletomanîâ et revertamur ad culturam animi, ad bonas bellasque litteras iucundê et diligenter et fructuosê colendas...

¹ An potius dicamus hunc morbum animae – quia nequaquam sôlae mulieres eodem corripiuntur – **histrionismum pandemicum**? cfr explicatio psychiatrica: <https://de.wikipedia.org/wiki/Hysterie>: „Unter **Hysterie** (von altgriechisch ὑστέρα *hystéra*, deutsch ‚Gebärmutter‘, vermutlich beruhend auf indogermanisch *ud-tero*, ‚der hervorstehende Körperteil‘; vgl. ‚Uterus‘⁴) wird bzw. wurde in der Psychiatrie eine neurotische Störung verstanden, die unter anderem mit oberflächlicher, labiler Affektivität und einem hohen Bedürfnis nach Geltung und Anerkennung einhergeht. In der medizinischen Fachsprache gilt der Begriff Hysterie heute weitgehend als veraltet, zumal er etymologisch und historisch mit der Gebärmutter, also dem weiblichen Geschlecht, verbunden ist und ihm ein abwertender Klang anhaftet,...cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Histrionische_Persönlichkeitsstörung: „Die **histrionische Persönlichkeitsstörung** (HPS) ist eine Form der Persönlichkeitsstörung und zeichnet sich durch egozentrisches, dramatisch-theatralisches, manipulatives und extravertiertes Verhalten aus. Typisch sind extremes Streben nach Beachtung, übertriebene Emotionalität und eine Inszenierung sozialer Interaktion“.


Equidem his mensibus coronariis praeter officia scholaria et studia mea Latina et lexicographica recolo fabulas illas bonas et vetustas et dilectissimas quas olim ante quinquaginta ferê annos iuvenis legeram animo inflammatisimo: Hermanni Hesse Narcissum et Chrysostomum, Alberti Camus Pestilentiam, Ionathanis Swift Gulliverum (non solum Liliput et Brobdignag, sed etiam Laputam et magnificam illam insulam, quam incolunt Houyhnhnms et Yahoos) necnon illum Alexandri Dumas Comitem Montis Christi, admirabilem fabulam quâ animus lectoris suspendatur incredibiliter...

Hac in Epistulâ novissimâ (218) tibi praebeo nonnulla didactica: quattuor lectiunculas Latinas argumenti non antiqui, sed recentioris et recentissimi, quas tempore coronario discipulis classis nonae proposui in sermonem theodiscum convertendas. Rogo omnes magistras magistrosque has lectiunculas lecturos, ut mihi scribant, quid sibi videatur de his lectiunculis scholaribus: num credant tales textûs esse aptos ad usum scholarem.

Tolle lege mirare! Utinam semper procul sis a vîro covidiano: vivas, crescas, floreas!

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Saturni, 13. m. Iunii a.2020**



CAROLUS V. (1500-1558)

QUOT LINGUAS CALLES

TOT HOMINES VALES

Carolus V. (natus d.24.m.Febr. a.1500 in Aulâ Principali, Gandae sive Gandavi (*Gent*) in Nederlandiâ Burgundicâ; mortuus est d.21. m.Sept. a.1558 in monasterio Vallis Toletanae (*Yuste*, Extremadura), e Domo regiâ Habsburgensi oriundus, fuit Imperator Sacri Romani Imperii.

Iuvenili iam aetate apparuerunt mores Caroli peculiare atque genuini, quibus vita eius insignis erat futura: Cum dignitatem imperialem prae se ferret, circumdabatur aurâ solitudinis et processu temporis etiam etiamque fiebat inaccessibilior. Cum hac inclinatione animi, tum vitio corporali, quod dicitur **progenia** sive **labium inferius Habsburgianum**, factum est, ut Carolus magis magisque vitaret hominum conventûs. Ex alterâ parte îdem vir fuit voluntate fortissimâ, quâ cohiberet corpus suum saepe aegrum et infirmum. Necnon avo vehementer gaudente Carolus in equitationibus, digladiationibus, iaculationibus, venationibus, certaminibusque equestribus se praestabat aptissimum atque durissimum.

Caroli sermo patrius fuit francogallicus (quo utebantur Flami nobiles); praeter eum Carolus calluit sermonem latinum et nederlandicum, minus loqui scivit sermone theodisco, hispanicum autem sermonem fertur inde ab a.1517 demum dicitur aegrê didicisse.

NARRATIUNCULAE PUERI MALE MŌRATI


(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

PARS OCTAVA: DE AVUNCULO FRANCISCO (*Onkel Franz*)

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; Pars VI: Nuptiae 173,12-20; PARS VII: De Periurio 205, 15-22.



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



PARS OCTAVA (VIII)

De avunculo Francisco (*Onkel Franz*)

Tum mater mea epistulam accepit ab avunculo Francisco scriptam. Qui fuit superior praefectus militum pensionatus. Mater autem dixit se valdê gaudere, quod avunculus scripsisset se velle ex me hominem facere probum, et hoc constare octoginta marcis in mense. Deinde mihi migrandum fuit in urbem, ubi avunculus habitabat. Quod fuit pertriste. Nam ad avunculi habitaculum mihi ascendendum erat per scalas quaternas, et circumcirca domûs non erant nisi altissimae nec ullus erat hortus.

Numquam mihi licuit ludere, nec ullus homo aderat nisi Franciscus avunculus et Anna matertera, qui per totum diem circumeuntes attendebant, ne quid mali fieret. Necnon avunculus me severissimê tractans numquam me aspiciebat nisi dicebat: »Exspecta, puer male môrate, mox inveniam quid mali feceris.«

E fenestrâ poteram sputare in capita hominum praetereuntium; cum sputans a destinato aberraveram, salivâ viae appulsâ strepitus fiebat bellulus, sed si quae capita salivâ meâ erant umidata, homines irâ incensi cirumspectantes conviciabantur terribiliter. Tali quidem re factâ saepe ridebam, sed praeterea animus meus non est exhilaratus.

Professor autem me non dilexit dicens me iam advenisse pessimê famatum.

At hoc non fuit verum; nam testimonium malum non acceperam nisi, quia pulverem aërophorum¹ indideram in Dominae Rectricis matellam nocturnam.

Sed hoc feceram longo iam tempore antea, nec fuit causae, cur Professor me tam vehementer vexaret. Accessit quod Franciscus avunculus illum cum bene novisset saepe visitabat.

Deinde inter illos convênit, quomodo ambo me deprehendere possent peccantem. E scholâ reversus statim iubebar iterum considerare pensa domestica facturus. Avunculus autem me semper aspectans dicebat: »Heus tu« inquit »num denuo te geris tam stultê? Exspecta, puer male môrate, te instituam diligentius, quam ut umquam obliviscaris.«

Aliquando debui facere pensum arithmeticum. Quod cum non intelligerem, rogavi avunculum, ut mihi explicaret, quia matri meae dixerat illum mihi adfuturum esse. Necnon matertera dixerat avunculum esse tam eruditum, ut multa apud eum discere possem.

Itaque eum rogavi, ut me adjuvaret, sed is penso perlecto dixit: »Num denuo nescis, quomodo computes, puer nequissime? Patet rem esse perfacilem.«

Deinde is consedit et conatus est quaestionem solvere. At hoc non factum est celeriter. Nam avunculus calculabat per totum tenpus postmeridianum, et cum interrogarem, nonne rem iam perfecisset, avunculus vehementer in me invectus sermone usus est asperrimo.

Cenâ demum ineunte mihi computationem afferens dixit: »Nunc licet tibi haec describere; quae fuerunt perfacilia, sed alia quoque mihi fuerunt facienda, audin, stultissime?«

Descripta tradidi professori. Die autem Iovis pensum est mihi redditum et ego credidi me accepturum esse notam primam. At pro

¹ pulvis aërophorus i.q. theod. *Brausepulver*.

eâdem accepi denuo notam quartam, totâ chartâ rubro colore oblitâ, et professor dixit: »Eheu calculatio tam stulta non fit nisi ab asino.«

»Quem fecit« inquam, »avunculus meus, et ego nil feci nisi calculum descripsi.« Tum totâ classe ridente professor erubuit.

Tum ille: »Vae tibi, mendacissime« inquit, »cave ne quando coniciaris in carcerem.« Tum me inclusum tenuit per duas horas. Avunculus autem me iam exspectavit, cum soleret me mulcare, postquam inclusus sum. At ego statim clamavi istum culpam contraxisse, quia falso calculavisset, et professorem dixisse, talem calculum non fieri nisi ab asino.

His auditis avunculus me eo vehementius mulcavit, et deinde abiit. *Henricus* autem *Greither*, amicus meus, illum vidit in viâ unâ cum professore ambulasse eosque iterum iterumque constitisse et avunculum locutum esse perquam assiduê.

Postridie professor mihi vocato dixit haec: »Iterum perlêgi computationem tuam; quae tota est recta, sed facta secundum methodum obsoletam. Tamen tibi non nocet, quod inclusus eras, quia hoc semper meres, et quia computationem describens menda fecisti.«

Hoc convenerat inter istos, nam avunculus mihi domum reverso statim dixit: »Cum professore tuo collocutus sum. Computatio bene fuit, sed tu, puer male môrate, describens non attendisti.«

Equidem reverâ bene attenderam, sed computatio avunculi erat prorsus falsa.

Tamen mater mea mihi scripsit avunculum sibi scripsisse se non iam posse mihi adesse, quia ne simplicissimas quidem computationes scirem describere ideoque se incidisse in difficultatem.

Iste quidem est homo taeterrimus.

NARRATIUNCULAS
PUERI MALE MÔRATI
SCRIPSIT
LUDWIG THOMA
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS

QUATTUOR LECTIUNCULAE SCHOLARES

Lectiunculas quae sequuntur tempore coronario Germanis discipulis classis nonae obtuli legendas et in theodiscum sermonem convertendas. Indicavi vim omnium vocabulorum, quae non inveniuntur in libro didactico, quo mihi utendum est illos discipulos docenti. Hic liber inscribitur "Prima nova", editus est a.2011 in aedibus Buchnerianis. Cara magistra, care magister, hos textûs si perlêgeris, scribas mihi, quidquid in buccam tibi venerit: num tibi placeant hae lectiunculae, num credas tales textûs discipulis tuis placere eosdemque aptos esse ad usum scholarem. Gratias tibi ago in antecessum.

Lēctiuncula I

MYNCHŪSĀNUS BARŌ MENDĀX



MYNCHŪSĀNUS NARRAT, QUŌMODŌ VOLĀVERIT GLOBŌ CANNŌNIS

1. Cum obsīdērēmus quandam urbem Turcōrum, Mynicus mariscalcus cupīvit scīre, quī esset status urbis.
2. Sed fierī nōn potuit, ut aliquis pervāderet per tot statiōnēs et fossās et ērīciōs.
3. Equidem, quā eram audaciā et studiō officiī gerendī, aliquantum praeproperē cōstitī iuxtā ūnum ex cannōnibus nostrīs māximīs versus urbem positum.
4. Hōc ex cannōne cum denuō globus ēicerētur, egō rapidissimē īnsiluī in eundem cum sībilō ē tubō ēiectum!

5. Voluī enim globō in urbem volāre!
6. Inter volātum autem sībilantem auctae mihī sunt quaedam cūrae:
7. Cōgitābam facile mē intrō ventūrum esse, sed mē nescīre, quōmodō exitūrus essem.
8. Timēbam, nē veste mīlitārī indūtus cognōscerer et proximō ē patibulō suspenderer!
9. Hīs rēbus cognitīs valdē timēbam.
10. Itaque, cum globus cannōnis Turcicī castrīs nostrīs dēstinātus mē praetervolāret, trānsiluī ad eundem, ut, quamquam rēbus īfectīs, salvus redīrem ad sociōs meōs.

VOKABELHILFEN *(in alphabetischer Reihenfolge)*

lateinisch-deutsch

aliquantum (Adv.) ein wenig - **barō**, ōnis m. Baron - **cannō**, -ōnis m. Kanone - **globus**, -ī m. Kugel - **denuō** (Adv.) von neuem, wiederum - **dēstināre** bestimmen - **ērīcius**, -ī m. (eigentlich: „Igel“) spanischer Reiter (Balken mit eisernen Spitzen) - **fieri** gemacht werden, geschehen - **fossa**, -ae f. Graben - **induere**, induō, induī, -ūtum anziehen - **īsilire**, -iō, -uī, - auf etw. springen - **intrō** (Adv.) hinein - **iuxtā** (Präp. + Akk.) neben - **mē intrō ventūrum esse** ich werde hineinkommen (indirekte Rede!) - **mendāx**, -ācis lügnerisch - **Mynchūsānus**, -ī m. Münchhausen - **Mynicus**, -ī m. Münnich, ein hoher Offizier (1683-1767), ab 1720 in russischen Diensten. **mariscalcus**, -ī m. Marschall - **obsidēre**, -eō, -sēdī, -sessum belagern - **patibulum**, -ī n. Galgen - **pervādere**, -ō, -vāsī, -vāsum durchdringen, hindurchgehen - **praeproperē** (Adv.) voreilig - **praetervolāre** (+Akk.) an etwas vorbeifliegen - **proximus**, -a, -um der nächste - **quā eram audāciā et studiō officiī gerendī** mutig und pflichteifrig, wie ich war - **quomodō** wie - **quomodō exitūrus essem** wie ich hinauskäme. - **rapidē** (Adv.) rasch - **rēbus īfectīs** unverrichteterdinge - **salvus**, -a, -um wohlbehalten, unverletzt - **sībilāre** pfeifen - **sībilus**, -ī m. Pfiiff - **statiō**, -ōnis f. Wachposten - **status**, -ūs m. Zustand - **suspendere**, suspendō, suspendī, suspēsum aufhängen - **trānsilire**, -iō, -uī - hinüberspringen - **tubus**, -ī m. Rohr - **turcicus**, -a, -um türkisch - **Turcus**, -ī m. Türke - **validus**, -a, -um gesund - **versus** (Präp., +Akk.) zu...hin. - **vestis militāris** Uniform - **volātus**, -ūs m. Flug -

Lectiuncula II

DĒ PUELLĀ IRĀCUNDĀ



1. Aliquandō quaedam puella omnēs hominēs adultōs vehementer vituperāns clāmāvit irā commōta: »Domus vestra ārdet! Vōs āërem polluistis carbōneō dioxydātō! Itaque nunc hominēs moriuntur, oecosystēmata intereunt! Vōs somnia mea dēstrūxistis! Volō vōs incidere in terrōrem pānicum!«
2. Itaque puella nōn iam voluit in scholam īre, sed itinera fēcit per tōtum orbem terrarum, ut hominēs adultōs quam gravissimē vituperāret, quod āërem carbōneō dioxydātō polluissent.
3. Multī hominēs stultī hanc puellam iterum iterumque laudābant dīcentēs eam sapientiōrem esse quam omnēs polīticōs et physicōs et chēmicōs et meteōrologōs.
4. At egō sentiō hanc puellam neque esse bonam neque sapientem; nam neque bonus neque sapiēns est homō, quī velit aliōs incidere in rem pessimam.
5. Pessima enim rēs est terror pānicus; is quī tālī terrōre commovētur, nihil iam bonum, nihil sānum cōgitāre potest, nihil facit nisi stultum et īnsānum et perīculōsum.
6. Praetereā carbōneum dioxydātum est substantia vērē mīrābilis, quae nisi exstāret, neque hominēs neque bēstiae vīvere possent.
7. Nam plantae in phōtosynthesī energīā ā sōle acceptā carbōneum dioxydātum cum aquā ita coniungunt, ut oriantur saccharum et oxygenium.
8. Hoc saccharum, quod appellātur glucōsum, continet multum energīae.
9. Homō autem et bēstiae, ut energīam accipiant, comedunt aut ipsās plantās aut bēstiās, quae plantās comēdērunt.

10. Praetereā hominēs et bēstiae spīritū hauriunt oxygenium, quod factum est phōtosynthesī plantārum.

11. Ergō nisī carbōneum dioxydātum esset in atmosphaerā, neque hominēs neque bēstiae possent vīvere.

12. Nam sine carbōneō dioxydātō nōn fieret phōtosynthesis; sine phōtosynthesī plantae neque fabricārent glucōsum neque oxygenium; sine glucōsō et sine oxygeniō neque hominēs neque bēstiae neque plantae possent vīvere.

13. Itaque nōn oportet laudāre illam puellam stultam carbōneī dioxydātī diffāmātrīcem.

14. Laudēmus Nātūram māgnam nostram mātrem, quae sapientissimē creāverit carbōneum dioxydātum, ut animālia in terrā vīvere possent!

15. Oportet autem puellam illam redīre in scholam, ut discat biologiam et tandem cognōscat, quid sit phōtosynthesis et quārē vīvere nōn possīmus sine carbōneō dioxydātō.

VOKABELHILFEN

(in alphabetischer Reihenfolge)

lateinisch-deutsch

adultus, -a, -um erwachsen - **āer**, āeris m. Luft - **aliquandō** – irgendwann einmal. – **animal**, -ālis n. Lebewesen - **atmosphæra**, -ae f. Atmosphäre – **biologia**, -ae f. Biologie - **carbōneum dioxydātum** Kohlenstoffdioxid (CO₂) – **chēmicus**, -ī m. Chemiker – **comedere**, comedō, comēdī, comēsūm essen – **coniungere**, coniungō, coniūnxi, coniūnctum verbinden – **continēre**, contineō, continuī, - festhalten, enthalten – **creāre**, -ō, -āvī, -ātum erschaffen - **dēstruere**, dēstruō, dēstrūxī, dēstrūctum zerstören – **diffāmātrīx**, -īcis f. Verleumderin - **energīa**, -ae f. Energie – **ergō** also - **exstāre**, exstō, exstītī – existieren – **fieret** 3.sg.Kjv.Impf.Pass. v. facere würde gemacht werden, geschāhe, fānde statt - **glucōsum**, -ī n. Glucose (C₆H₁₂O₆) - **graviter** (adv.) schwer, heftig – **incidere**, incidō, incidī in aliquam rem in etw. hineinfallen, in etwas geraten - **īnsānus**, -a, -um krank, verrückt - **intereunt** sie gehen unter (3.pl.Ind.Prs.Akt. v. interīre, intereō, interī, - untergehen) – **īrācundus**, -a, -um jähzornig - **īterum īterumque** dauernd, immer wieder – **meteōrologus**, -ī m. Meteorologe – **mīrābilis**, -e wunderbar - **moriuntur** sie sterben (3.pl.Ind.Prs.Pass. v. morī, morior, mortuus sum sterben) – **nisī** wenn nicht – **nōn...nisī** nur - **oecosystēma**, -atis n. Ökosystem - **orbis terrārum** Erdkreis – **orientur** 3.pl.Kjv.Prs.Pass. v. orīrī, orior, ortus sum entstehen – **oxygenium**, -ī n. Sauerstoff - **perīculōsus**, -a, -um gefährlich - **phōtosynthesis**, -is f. Photosynthese - **physicus**, -ī m. Physiker - **polīticus**, -ī m. Politiker - **polluere**, polluō, polluī, pollūtum verschmutzen – **praetereā** außerdem - **sānus**, -a, -um gesund, vernünftig – **saccharum**, -ī n. Zucker - **sapiēns**, sapientis weise – **sōl**, sōlis m. Sonne - **somnium**, -ī n. Traum – **spīritus**, -ūs m. Atem - **haurīre**, hauriō, hausī, haustum schöpfen – **spīritū haurīre** einatmen - **stultus**, -a, -um dumm – **substantia**, -ae f. Substanz - **terror pānicus** panischer Schrecken, Panik (vgl. Pan = Hirtengott!) – **planta**, -ae f. Pflanze - **vērē** (Adv.) wirklich - **vituperāre**, -ō, -āvī, -ātum tadeln, zurechtweisen –

Lēctiuncula III

MEDICĪ MONENT DĒ ADULĒSCENTIUM SOPHOPHŌMANIĀ



- 1) Puerī atque puellae, sī mente fingunt sē per aliquot hōrās sēiūnctōs esse ā suō sophophōnō, corripiuntur terrōre pānicō.
- 2) Sī quis quem nūntium negligit applicātiōne missum, ab amīcīs vituperātur et arrogāns esse putātur.
- 3) Quaedam puella quīndecim annōs nāta vīvere nōn potest sine sophophōnō.
- 4) Quod sine pausā pīpiat, othonidiō eius īnstrūmentī conclāve etiam nocte illūminātur, ut puella certior fiat dē nūntiō allātō.
- 5) „Egō nōn sum morbōsa. Nōn fūmō sigarella. Nōn bibō pōtiōnēs alcoholicās“.
- 6) Eadem discipula gymnasī: „Scīlicet“ inquit „omnēs habēre sophophōnum“.

7) Itaque ea puella hoc Instrūmentum, dōnum parentum, semper sēcum fert in scholā, in lāophorō, ūnā cum aliīs domī cēnāns, vocābula discēns.

8) Puella nē paulisper quidem dubitāns: „Sine meō sophophōnō“ inquit, „nōn exstō. Sine prosōpobibliō sum mortua“.

9) Accessibilitās continua, missiō phōtographēmatum mūtua, collēctiō mūsica, calendārium rērum agendārum – „sophophōnō inest vīta mea tōta“.

10) *Dr. Stefanus Kimm*, quī in Nosocomiō Elisabethae Tremoniēnsī psychiātricō cūrat adulēscentēs in lūsūs computātrālēs atque interrēte morbōsōs, dīcit haec: „Nōn rētificium sociāle aut sophophōnum sunt periculōsa, sed auctōritās, quam hae rēs habēre possunt ad vītam hārum puellārum“.

11) *Dr. Kimm* putat iuvenēs fūnciōne placentiae fierī morbōsōs in interrēte.

12) Īdem psychiātēr „Nēmō“ inquit „magis indiget assēnsū atque comprobātiōne coaequālium quam iuvenēs.“

13) Quō saepius iidem hāc fūnciōne comprobantur, eō meliōrēs sē esse ipsī putant, etiamsī comprobantur ab hominibus sibī ignōtīs.

14) Nam iuvenem aliquem ex quīngentīs amīcīs prosōpobibliī saepe nōn plūrēs vērē nōvērunt quam trīgintā, e.g. amīcōs scholārēs”.

15) Īfantulī māximē attrahuntur novīs mediīs ēlectronicīs.

16) Sed adultī quoque sēdūcuntur sophophōnō.

17) Hoc dēmōnstrātum est ab investigātōribus Ūniversitātis Bonnēnsis.

18) Quī applicātiōnem nōmine «*Menthal*» invēnērunt, quā investigārent, quō modō adhibērent hominēs sophophōna sua.

19) Hāc applicātiōne, quae omnī diē grātīs ērētiēbātur ā centum quīnquāgintā mīlibus hominum, numerātum est, quotiēns hominēs sophophōna adhibērent.

20) Inventum est plūrimōs hominēs omnī diē adhibēre sophophōna sua minimum per bīnās hōrās.

21) Iuvenēs, quōrum aetās est intrā spatium duodēvīgintī et vīgintī trium annōrum, sophophōnum suum expediunt septimā quāque minūtā idemque adhibent per trēs hōrās in diē.

22) Dēbēmusne igitur sophophōnum vītāre, quia facit nōs morbōsōs?

23) Nōne sophophōnum est etiam īnstrūmentum ūtilissimum, quō cum amīcīs colloquī possumus tempore corōnāriō? –

24) Certē sophophōnum est interdum ūtile, sed, ut ait Horātius poēta: «*Est modus in rēbus, sunt certī dēnique fīnēs!*»

VOKABELHILFEN (in alphabetischer Reihenfolge)

lateinisch-deutsch

accessibilitās, -ātis f. Erreichbarkeit - **alcoholicus**, -a, -um alkoholisch – **adhibēre**, -eō, -uī-hibitum anwenden, verwenden - **applicātiō**, -ōnis f. App – **arrogāns**, -ntis m./f. anmaßend, arrogant - **Bonnēnsis**, -e Bonner, in Bonn (Bonn = Bonna, -ae f.) - **assēnsus**, -ūs m. Zustimmung – **attrahere**, -ō, -trāxī, -tractum anziehen - **bīnī**, -ae, -a je zwei (Distributivzahl) – **calendārium rērum agendārum** Terminkalender – **centum quīnquāginta mīlia** 150.000 - **coaequālis**, -is m. Gleichaltriger – **collēctiō**, -ōnis f. Sammlung – **colloquī** sprechen, sich unterhalten - **comprobāre** anerkennen - **comprobātiō**, -ōnis f. Anerkennung - **conclāve**, -is n. Zimmer – **continuus**, -a, -um stāndig - **corripere**, -iō, -uī, correptum packen, erfassen - **domī** (Adv.) zuhause - **duodēvīgintī** 18 - **ērētīre**, -iō, -īvī, -ītum herunterladen (aus dem Netz) - **exstāre**, exstō, exstīti, - existieren – **Est modus in rēbus, sunt certī dēnique fīnēs!** Es gibt ein rechtes Maß in allen Dingen, kurz, es gibt bestimmte Grenzen! **etiāmsi** auch wenn – **expedīre** einschalten - **fūmāre** rauchen - **fūnctiō displicentiae** – Dislike-Funktion - **fūnctiō placentiae** Like-Funktion – **grātīs** (adv.) umsonst, kostenlos - **gymnasium**, -ī n. Gymnasium - **illūmināre** beleuchten, erleuchten – **indigēre**, -eō, -uī, - (+ Abl.) brauchen, nötig haben - **īnfantulus**, -ī m. kleines Kind – **interdum** (Adv.) manchmal - **interrēte**, -is n. – Internet – **investīgāre** aufspüren, erforschen - **investīgātor**, -ōris m. Forscher - **lāophorum**, -ī n. Bus - **lūsus computātrālis** Computerspiel – **media ēlectronica** (n.pl.) elektronische Medien – **mente fingere** (+ Acl) sich vorstellen, dass – **minimum** (Adv.) mindestens - **missio**, -onis f. Schicken, Sendung - **monēre de** (+ Abl.) warnen vor - **morbōsus**, -a, -um süchtig – **mortuus**, -a, -um tot – **mūtuus**, -a, -um gegenseitig - **nē...quidem** nicht einmal – **nosocomīum**, -ī n. Krankenhaus, Klinik - **othonidium**, -ī n. Display, Bildschirm – **paulisper** eine Zeitlang, ein Weilchen – **periculōsus**, -a, -um gefährlich - **phōtographēma**, -atis n. Foto - **pipiāre** piepen – **pōtiō**, -ōnis f. Getränk - **prosōpobiblion**, -ī n. Facebook – **psychiātēr**, -trī m. Psychiater – **psychiātricus**, -a, -um psychiatrisch - **quīndecim** fünfzehn – **quīngentī**, -ae, -a 500 – **quotiēns** wie oft? - **rētificiūm sociāle** soziales Netzwerk - **scholāris**, -e Schul, schulisch - **scīlicet** (+ Acc.) natürlich, freilich – **sēdūcere**, -ō, -dūxī, -ductum verführen - **sēiungere**, sēiungō, sēiūnxī, sēiūnctum trennen – **septimā quāque minūtā** jede siebte Minute, alle sieben Minuten - **sigarellum**, -i n. Zigarette - **sophophonómānia**, -ae f. Smartphonesucht - **sophophōnum**, -ī n. Smartphone – **spatium**, -ī n. Zeitraum - **tempus corōnārium** Corona-Zeit (Lockdown, Shutdown, social distancing, Maulkorb) - **terror pānicus** panischer Schrecken – **Tremoniēnsis**, -e Dortmunder, in Dortmund (Dortmund = Tremonia, -ae f.) – **trīgintā** 30 - **ūniversitās**, -ātis f. Universität – **ūtilis**, -e nützlich, brauchbar - **vīgintī trēs** 23 - **vituperāre** tadeln – **vocābulum**, -ī n. Vokabel.



SURSUM CAPITA !

Lēctiuncula IV

DE HYSTRICIBUS



Apologus ā quōdam philosophō praeclārō scrīptus

1. Frīgidō diē hiemālī nōnnūllae hystricēs congregātae ūna ad alteram sē cōnstīpāvērunt mūtuō sē calefacientēs, nē frīgore perīrent.
2. At mox aculeōrum ictum mūtuū sēnsērunt, quō factum est, ut ūnā ab alterā sē removēret.
3. Cum calōris dēsīderiō iterum sē cōnstīpāvērunt, alterum malum repetītum est, ut ab ūnō ad alterum dolōrem iterum iterumque iactārentur, dum invenīrent distantiam modicam, quā servātā sē habērent māximē tolerābiliter.
4. Similī modō hominēs inānitāte atque monotoniā animōrum coāctī congregantur; at eōrundem, cum sint multīs quālitātibus taediōsīs vitiīsque intolerābilibus, ūnus ab alterō repellitur.
5. Distantia autem media tandem ab iīs inventa, quā servātā hominēs congregārī possunt, est urbānitās et ēlegantia.
6. Eī autem, quī hanc distantiam nōn servet, in Britannīā acclāmārī solent verba *„Keep your distance!“*
7. Eiusdem distantiae effectū dēsīderium calefactiōnis mūtuae nōn tōtum quidem explētur, sed etiam nōn sentītur ictus aculeōrum.
8. At praestat eum, quī sit multō calōre animae propriō, abesse ā societāte hominum, nē mōlestiam faciat nēve accipiat.

ZUSATZFRAGEN ZU AUFGABE A

- 1) Zu welchem Verhalten gegenüber den Mitmenschen rät der Philosoph?
- 2) Mit welchem Satz fordern die Engländer nach Auskunft des Philosophen zu diesem Verhalten auf?
- 3) In den Tagen der Corona-Pandemie wird uns dieses Verhalten vorgeschrieben. Welche englische Bezeichnung wird heute für die betreffende „Corona-Regel“ benutzt?
- 4) a) Welche Begründung gibt der Philosoph für seinen Rat?
b) Wie wird die „Corona-Regel“ begründet?
- 5) Im letzten Satz (Satz 8) spricht der Philosoph von einem außergewöhnlichen Menschentyp, dem er eine besonders radikale Empfehlung gibt.
a) Wie beurteilst du diese Empfehlung?
b) Welche Folgen könnte das Verhalten haben, das der Philosoph empfiehlt?
- 6) Aristoteles (384-322 v.Chr.) sagt: „Der Mensch ist ein Gemeinschaftswesen (zoon politikon). Ein Wesen, das alleine lebt, ist entweder ein Tier oder ein Gott; es kann kein Mensch sein.“ Vergleiche das Menschenbild des Aristoteles mit dem des Philosophen, der die Fabel geschrieben hat!
- 7) Weißt du, von welchem Philosophen die Fabel stammt? Nein? Dann solltest du im Internet recherchieren.

VOKABELHILFEN *(in alphabetischer Reihenfolge)*

lateinisch-deutsch

acclamāre zurufen (+ Dat.) - **aculeus**, -ī m. Stachel - **alter**, -a, -um der eine, der andere (von zweien), ūnus ad alterum einer zum anderen - **apologus**, -ī m Fabel - **calefacere** wärmen - **calefactiō**, -ōnis f. Erwärmung - **calor**, -ōris m. Wärme - **congregārī**, -or, -ātus sum sich versammeln - **cōnstipāre** zusammendrängen - **dēsiderium**, -ī n. Sehnsucht, Bedürfnis - **distantia**, -ae f. Abstand, Entfernung - **effectus**, -ūs m. Wirkung - **ēlegantia**, -ae f. feines Benehmen, gute Manieren - **explere**, -eo, -plevi, -pletum erfüllen, befriedigen - **frigidus**, -a, -um kalt — **frīgus**, frīgoris n. Kälte - **habere**, sē ... sich fühlen - **hiemālis**, -e winterlich, Winter// - **hystrix**, -icis f. *ein Tier (siehe Bild oben – wie heißt es?)* - **iactare** immer wieder werfen, schleudern - **ictus**, -ūs m. Stich - **inānitās**, -ātis f. Leere - **modicus**, -a, -um mäßig, maßvoll, angemessen - **molestia**, -ae f. Belästigung, Beschwerlichkeit, Ärger - **monotonia**, -ae f. Monotonie - **mūtuō** (Adv.) gegenseitig - **mūtuus**, -a, -um (Adj.) gegenseitig - **praestat** + Inf. es ist besser, es ist vorzuziehen - **proprius**, -a, -um eigen - **quālitās**, -ātis f. Eigenschaft - **quō** (Abl.sg. Rel.pron.) wodurch - **removēre** entfernen - **similis**, -e ähnlich - **societās**, -ātis f. Gesellschaft - **taediōsus**, -a, -um widerwärtig - **tolerābiliter** (Adv.) erträglich - **urbānitās**, -ātis f. Höflichkeit - **vitium**, -ī n. Fehler, Laster. -

DE VERBIS QUAE FALSO DICUNTUR DICTA ESSE A VOLTARIO

Victorius Ciarrocchi sodalis Academiae Latinitati Fovendae scripsit nobis haec quae sequuntur:

Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit. Quam potui attentius, ut crediderim, epistulam Leoninam 217 legi, mi Nicolae proque ipsa gratias tibi ago. Eam autem sententiam, quae legitur in paginis 45-46 epistulae Leoninae, non «Voltairus Francogallus ille illustrissimus» dixit vel scripsit, sed Evelina Beatrix Hall (1868-1919), Britannna scriptrix, quae viri illius Francogalli vitam et res gestas memoriae mandavit. Quare "unicuique suum": <https://de.wikiquote.org/wiki/Evelyn_Beatrice_Hall> Optime valeas.

https://de.wikiquote.org/wiki/Evelyn_Beatrice_Hall "EVELYN BEATRICE HALL (1868-1956) *englische Schriftstellerin*, veröffentlichte Werke unter dem männlichen Pseudonym *Stephen George Tallentyre*. - »**The Friends of Voltaire**«. - "Ich missbillige, was Sie sagen, aber ich werde bis zum Tod Ihr Recht verteidigen, es zu sagen." - (Original en: "**I disapprove of what you say, but I will defend to the death your right to say it.**" - *The Friends of Voltaire. With Portraits. Smith Elder & Co. London 1906, Chapter 7, Helvetius: The Contradiction, p. 199, Google Books, S.199.*) - Dieses Zitat wird häufig **Voltaire fälschlicherweise zugeschrieben**. Es ist jedoch in seinen Werken bisher nirgendwo gefunden worden.“

cfr https://de.wikiquote.org/wiki/Voltaire#Fälschlich_zugeschrieben: „Ich missbillige, was Sie sagen, aber ich werde bis zum Tod Ihr Recht verteidigen, es zu sagen." - *Obwohl regelmäßig Voltaire zugeschrieben, stammt dieser Satz von Evelyn Beatrice Hall (Pseudonym Stephen G. Tallentyre), die ihn in ihrem Buch "The Friends of Voltaire" (1906, archive.org) benutzte, um Voltaires Einstellung zu Claude Adrien Helvétius zu charakterisieren: "I disapprove of what you say, but I will defend to the death your right to say it," was his attitude now." Die Behauptung, Voltaire habe in seinem Brief an M. le Riche vom 6. Februar 1770 geschrieben: "Monsieur l'abbé, je déteste ce que vous écrivez, mais je donnerai ma vie pour que vous puissiez continuer à écrire", trifft nicht zu: [Google Books](https://books.google.com/books?id=...) S. 433. Siehe auch [fr.wikipedia: Tolérance, Fußnote 2.](https://fr.wikipedia.org/wiki/Tolérance)“*

Victorius Nicolao salutem. Mendum corrigo biographicum: Evelina Beatrix Hall anno 1956 mortua est, non «1919» ut perperam scripsi. Habeas me quaeso excusatum. Valeas optime.

Nicolaus Victorio s.

Revera, care Victori, Voltarius illa verba non ipse dixisse videtur; sed pro certo habemus, illorum verborum argumentum esse verê Voltarianum. Ergo illa *Evelina Beatrix* non citavit verba Voltarii, sed verbis a se ipsâ fictis bene expressit rationem cogitandi Voltarianam. Assentirisne? Gratias tibi ago plurimas pro loco Wikipediano allato. Mox tibi mittam Vocabulorum collectionem, c.t. "ATHLETICA I". Semper vale. Haec raptim, mox certê plura.
Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

Victorius Nicolao salutem.

"Assentior", mi Nicolae. Sed itero: "unicuique suum", semper et ubicumque gentium. Optime vale.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODEVICESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Saturni, 13. m.Iunii a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae